



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Antonii Milliei, Lvgdvnensis, E Societate Iesv, Moyses  
Viator**

**Millieu, Antoine**

**Lugduni, 1636**

Libri Septimi Argumentum, & Synopsis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69066](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69066)





## LIBRI SEPTIMI

*Argumentum, & Synopsis.*

**C**OMPLECTITUR hic liber Exodi caput 17. stationem, scilicet, vndecimam ad Raphidim: vbi laboratum est primùm aquæ penuria, & paulò post largiter scatentibus de percussa petra fontibus, recreato populo, fusus prælio, fugatúsque Amalec, qui pridie ad vesperam extremos agminis Israëlitici tardius sequentes cæciderat, Deut. 25. 17. Mandatum est hoc bellum Iosux Duci à Deo destinato, designatòque, qui delectu militum habito Amalecitas commisso prælio profigat, & salutiferi nominis auspicio, & Crucis præsidio: quam mente complexus interim Moses in monte, & in petrâ desidens, elatis in cœlum, passisque brachiis, typica Virgâ adumbrat. Inexpiabile indictum Amalecitis inde bellum, quòd insidias in via intenderint Israëlitis, vt incautos, & labore fractos opprimerent, gratiis de victoria Deo actis, tropæum de teterrimo hoste constitutum.

1 Amalecità veriti, ne suos fortè fines inuadant Hebræi, Ægypto profugi, arma capiunt, & vicinos populos concitant: apta Gebalitis regio petrosa ad belli furta, & latrocinia.

2 Amalec inter Esaii nepotes nobilis, sed spurius, ex Thamna pellice, gentis Princeps hic fingitur: & belli incentor Huza odij Esaii in Iacob hæres ob ereptum honorem iuris primigenij fraude Rebeccæ. Sed aliæ fuerunt etiam belli causæ, instinctu Dæmonis, qui vetere gentis vitur odio.

3 Orestas fingitur Magister equitum, qui speculatus castra Israëlitarum docet Huzam, facilè opprimi posse incautos, & inedia sitique confectos: subornatus Dæmon Orestam agit, & Oratorem.

4 Huz<sub>a</sub>



4 Huza spe prædæ ingentis facili victoria suos in infidiis opperiri iubet, vt caudam agminis primùm cædant.

5 Daphca & Alunte stationibus præteritis, in quibus nihil gestum memorabile, statione vndecima castra ad Raphidim posita sunt: tentatur aquæ penuria populus, & seditione subitâ tantùm non lapidat Moysem.

6 Aquæ fontes sanguine suo libenter redimeret à Deo Moyfes: sed hoc pretium seruatur Christi Sanguini, quo aperientur fontes Saluatoris: aquæ interim vberes de percussa petra Horeb præmittuntur.

7 Deus, Angelo stante super petram, indicat quam percuti velit: adstantibus populi Principibus percussa petra scinditur in largissimos fontes, vnde fluuius subito excurrit in castra.

8 Excurritur in fontis originem, & causas.

9 An petra illa castra sequeretur? An vt lapis manalis circumferretur ad perennes aquas populo fundendas?

10 Comparatur fons ille cum aperto in maxilla asini fonte in gratiam Samsonis, cuius victoria perstringitur. Iud. 15.

11 Amalecitæ interim adoriuntur extremos agminis, qui lassè sequebantur segniùs.

12 Crudelitas Huzæ sæuientis in plebem inermem.

13 Stragis nuntio in castra allato, Moyfes ultorem breui Deum promittit: Iosuem ducem designat.

14 Iosuem docet, quid opus facto, delecto milite: & clypeo donat insigni gentilitiis Iosephi symbolis.

15 Delectum habet Iosue: tria millia è singulis Tribubus conscribit: quæ quatuor præcipuis ducibus partitur, seruato ordine, qui in castris circum tabernaculum locandis postea traditus: strenuè militem exerceet pro tempore.

16 Exploratores, dispositis excubiis, in castra hostium missi vident feruere omnia armis, & animis spe prædæ, & hesterni latrocinij fiducia.

17 Insultant Amalecitis coniectis in castra telis, auspicio pugnae sibi felicioris.



216 *Libri VII. Argumentum,*

18 Huza suos in aciem educit : eius habitus , & arma ab Esäu.

19 Hortatur gloriosè sua agmina ; irriso fugitiuorum Israëlitarum , & claudicantium exercitu.

20 Iosua contra acies composita , silentio intenta vadit.

21 Quadripartita. Dux primæ aciei Nahasson gentilitio Leone Iudæ in vexillo. Illi iunguntur Zabulon , & Issachar. Zabuli vexillum insigne anchora. Issacharis , laborioso , & forti asino , quæ insignia symbolica ex Patriarcharum fortibus petita , Gen. 49. & Deuteron. 33. Secundam aciem ducit Ruben suspensis mandragoris. Adduntur illi Simeon & Gad : ille ensem vexillo appingit : iste cataphractum militem.

22 Tertia acies ad dextram interior , Ephraim , primogenito Tauri conspicuo labaro. Iunguntur illi Manasses , & Benjamin : ille Rhinocerotæ fumantem naribus suspendit signo : ille rapacem lupum. Quartam aciem , quæ etiam interior ad læuam , ducat Dan gentilitio cerasta notabilis , siue ille Samsonem designet , siue Antichristum. Connexæ illi Tribus Nephtali , & Azer : illa Ceruo emisso è retibus libertatem affectans per Baracum & Deborah , Iudicum 4. & 5. In Azeris vexillo libra triticea , & panis regius.

23 Iosue aciem instruit : velitem collocat : omnes alloquitur , & hortatur exemplo.

24 Clypeus Iosua describitur gentilitiis Iosephi pomis , è Solis & Lunæ pomariis memorabilis : eum è sepulcro Iosephi cum Patriarchæ ossibus Elisamas sustulerat olim affixum : Soli postea imperauit , ac Lunæ , & vtriusque cursum inhibuit.

25 Moyse in monte Christum in Cruce sublatis adumbrans cum Virga manibus , orando pugnat , & impiorum odia in Christi regnum cum Amalecitis deuouet diris , ex Psal. 2.

26 Iosue in campo strenuè pugnam committit , & exemplo facit , funditque hostes.

27 Huza



27 Huza suos sistit: miratus nullum ex Hebræis cadere, beneficiis id adscribit: hastatos opponit, & pugnam ensibus fieri iubet.

28 Iosué suos etiam collato pede rem gerere hortatur, & Enacidas aliquot ipse obtruncat.

29 Illustres aliquot cædes ab Hebræis ducibus patrata.

30 Moyses interim manus paululum remittit, & terga vertunt Hebræi. Huza suos restituit, & in gradu reponit.

31 Iosué suos fugientes frustra reuocat, nisi Moses intendat manus ac preces.

32 Moyses suorum periculo admonitus instaurat vota, & preces.

33 Obfirmatis manibus, subiecto saxo mystico desidet, brachia hinc inde fulcientibus Aarone & Hure. Moyses, & Iosué Christum vnum adumbrant.

34 Salutifero signo certa constat Hebræis victoria: fugientes Amalecitas insequitur Iosué: Nahasson Orestam sternit.

35 Huza iam propè desertus à suis deliberat de morte: in suum ipse gladium incumbere fingitur, probabiliter; vt aliquot aliorum casus.

36 Iosué receptui canit; suos recenset, agnoscit nullum desiderari magno miraculo.

37 Ara ingens Deo erigitur in trophæum, ad agendas gratias.

38 Aræ inscriptio, *Dominus, exaltatio mea.*

39 Moyses in raptu cognoscit res gerendas à Samuële & Saüle, 1. Reg. 15. contra Amalecitas: & iussu Dei bellum sine fœdere in eos indicit Hebræis, iuratum à Deo, & professum.

41 Inde castra mouentur, & ex Raphidi die eadem ad Sinam applicantur; quo summo manè præcesserat populum Moyses, ad legis apparatus.